

*næ promachos, qui gratiam DEI universalem, ante annum, impugna-
runt. Primus est DRIESENIVS, contra quem jam pridem sub
DN. D. CHLADENIO, nunc beate defuncto, disputavi: alter est
HEINSIVS; & tertius audit SPITZIVS, qui acute satis argu-
teque, adversus dogmata Evangelii declamans, varie hallucinatur, &
Judæos ideo converti non potuisse, dicit, quia viribus suis naturalibus
utinoluissent, p. 51. atque HEINSIVS in saniolem doctrinam cele-
berrimumque Dn. D. RVSSENIVM summe injurius est, gratiam
istam universalem & voluntatem DEI ordinatam, prout eam ex
verbo DEI describimus, miseram salvationem vocando p. 161. Sed
paucis jam cum primo saltem congrediar, super quæstione: quem in fi-
nem ministri in Ecclesia verbum DEI impiis & reprobis prædi-
care possint? ad quam quæstionem, suo jam tempore, more, Calvinia-
nis consveto, respondit WVDIVS, in prædestinatione p. 113. seq. ideo
DEVM permittere & concedere verbum DEI prædicari repro-
bis, ut aliquando sint inexcusabiles Antonius autem DRIESENIVS
alio modo quæsitum enodare studet, scribendo: voluntas præcepti, de
qua nobis constat, non autem voluntas arcana, seu decreti, quam
non intelligimus, doctõri & auditori regula actionum est. Hanc
suam opinionem duabus rationibus fulcire cupit. Vnam desumit ab
arcano DEI beneplacito, juxta quod concionator electis saltem verbum
ad fructum salutemque prædicet. Alteram vero petit a distinctione
inter verbi virtutem duplicem, quam, cum Fanaticis, fingit ac descri-
bit, modo, ut virtutem mere moralem & persuasivam, modo, ut
animatam & efficacia Spiritus S. præcipua elevatam p. 121. seq. & p.
50. seq. de quibus erroribus plura dixit D. MICRELIVS, in lib. 12. de
prædestinatione p. 347. D. WEINRICHIVS in examine sententiæ sy-
nodi Dordrechtanæ de absoluto decreto, & D. CALOVIVS, in Colleg.
Anti-calviniano, disp. II. Quibus addendum censeo, secundum Scripturam
S. DEVM omnium omnino hominum, cujuscunque sint ætatis, condi-
tionis, & ordinis, salutem æternam serio, ac justo ordine, velle, &
ipsis*